[§28] Obicitur forte vobis genus. O mira inprudentium hominum vanitas, qui de tanta laude vos vituperant, de tanta gloria diffamant, de tanto honore et honestate [non] credunt! Est verum, fratres mei, quod secundum carnem nollem vos gloriari, quia spiritus est qui vivifficat; caro autem non prodest quicquam, sed si secundum carnem vel carnalem prosapiam gloriari opporteret gloriosiores estis omnibus hominibus, vos, filii Abrahe, non ut Agareni de ansilla, sed ut filii promissionis de libera. [§29] Vos a ceteris patriarchis et prophetis amicis Dei originem trahitis, reges et principes a Deo electi vestri fuerunt. Sacerdocium leviticum a Domino institutum, quo sibi per desertum in tabernaculo et Iherosolimis in sancto templo suo [fol. 130rb] sacrifficiis et oblacionibus iugiter ministrabatur. De una tribuum vestrarum fuit. Gentem enim sanctam et regale sacerdocium vos Dominus fecit et sic nominavit[57].

[§30] Replicabitur fortasse: «Omnia ista iam cessaverunt, quia omnia in figura contingebant illis[58]. Nunc vero, revelata veritate, nec reges nec sacerdotes habetis. Patriarchas vel prophetas ostendite, omnes enim prophete usque ad Iohannem. Ceptrum [ceptam *ms*.] de Iuda et dux de femore eius usque ad Christum[59], sacerdocium Aaronicum

---

[54] *Ier*. 17,10: «ego Dominus scrutans cor et probans renes»; *Ps*. 7,10: «probator cordis et renum Deus iustus»; *Apoc*. 2,23: «ego sum scrutans renes et corda».

[55] *Quomodo in sapientem non cadit iniuria* es el título que el de *De constantia* de Séneca adopta en manuscritos e incunables.

[56] *Cf.* Sen. *epist*. 120,3: «Nihil est bonum nisi quod honestum est».

[57] *1 Petr*. 2,9: «vos autem genus electum regale sacerdotium gens sancta populus adquisitionis».

[58] *1 Cor.* 10,11: «haec autem omnia in figura contingebant illis».

[59] *Gen*. 49,10: «non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femoribus eius donec veniat qui mittendus est».

in Illo, qui est sacerdos in [e]ternum secundum ordinem Melchisedech[60], fuit termi[n]atum, et in Illum mutacione dextere Excelsi translatum[61]; et translato sacerdocio neccese est quod legis translatio fiat[62]. [§31] Quidquit ergo boni habetis, sive in spiritualibus sive in temporalibus, ab Ecclesia gencium, in qua dispersi estis, eius benignitate mendicatis».

[§32] Nescire non possumus, respondeatis, fratres, aliquid predictorum. Ingrati valde essemus si beneficia a vobis recepta non recognosceremus. Recognoscimus si quidem et laudamus et pro salute et pace nostra obsecrationes, oraciones, postulaciones, graciarum actiones specialiter pro regibus et pro hiis qui in sublimitate sunt constituti, ut sub eis quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate, secundum doctrinam appostoli primo omnium facimus[63]. [§33] Sed quia [fol. 130va] que a vobis accepimus prius accepistis a nostris, grati esse debetis genero nostro. Legem si quidem evangelicam et appostolicam quam nos docuistis et comuniter tenemus, baptismum et cetera sacramenta ecclesiastica appostoli et evangeliste generis nostri vobis divinitus inspirati [inspiranti *ms*.] tradiderunt, super quo audite appostolum vestrum ad Ephesios scribentem: «Eratis –inquit– illo in tempore sine Christo alienati a conversacione Israel et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Ihesu vos qui aliquando eratis longe facti estis prope in sanguine Christi; ipse enim est pax nostra que fecit utraque unum»[64]. [§34] Ceterum religionem comuniter viventium Ecclesia Iudeorum Ihesosolimis prius tenuit. Illi enim fuerunt primi credentes, quorum erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum que possidebat aliquid suum esse dice-

[60] *Ps*. 109,4: «tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech».

[61] *Ps* 76,11: «haec commutatio dexterae Excelsi».

[62] *Hebr*. 7,11-12: «si ergo consummatio per sacerdotium leviticum erat populus enim sub ipso legem accepit quid adhuc necessarium secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem et non secundum ordinem Aaron dici translato enim sacerdotio necesse est ut et legis translatio fiat».

[63] *1 Tim*. 2,1-2: «obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes orationes postulationes gratiarum actiones pro omnibus hominibus pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate».

[64] *Eph*. 2,12-14.

bat, sed erant illis omnia comunia[65]; ad quorum instar omnes religiones christianitatis hodie institute sunt. [§35] Quid multis inmorer? Unum verbum Salvatoris nostri in Iohanne ad predicta sufficit: «Quoniam salus –inquit– ex Iudeis est»[66]. Exprobatis nobis quod regibus et principibus generis nostri caremus. Verum est. Dicite quod reges terrenos et mortales generis nostri non habemus. [§36] Sed respicite, queso, ad regem celestem et inmortalem, qui rex [fol. 130vb] regum est et dominus dominancium, per quem reges regnant et legum conditores iuxta decernunt, qui regnat in domo Iacob in eternum et regni eius non erit finis[67]. Et querite ab Eo cuius filius sit. Quid enim respondebit nisi David, Abrahe et aliorum patriarcharum, regum et principum Hebreorum qui in sua genealogia ab evangelistis usque ad Mariam Virginem inclusive suo ordine inseruntur? [§37] De qua illibata genitrice sua, regina celorum, domina angelorum, quam beatam dicunt, omnes generationes. Si interrogemini cuius filia sit, quid respondebitis nisi quod de ea cantat Ecclesia: «Sicut spina rosam genuit Iudea Mariam»?[68] [§38] Sinite [?] [sinectite *ms*.] iam ergo, obsecramus in Domino, ab opprobiis tanti generis, ne putantes nos confundere in Virginem eiusque Filium videamu[r] [videamus *ms*.] iniuriam irrogare, quod quantum cedat in vituperium et dampnum vestrum habens granum de intellectu poterit iudicare.

[§39] Dicitis de sacerdotibus; revera in statu gracie, quem nunc per Dei graciam vobiscum profitemur, melius circa sacerdocium nobiscum actum est quam in statu legis Moysaice. Tunc enim ad unam tribum solam, scilicet leviticam cohibebatur, [fol. 131ra] nunc vero sine differencia gentis vel tribus ad omnes equaliter extendit. Iam enim non consideratur genus sed meritum. [§40] Nec a principio nascentis Ecclesie deffuerunt in ea, nec modo anuerunt Domino. Defficiunt huius nacionis sacerdotes et diaconi ceterique gradus ecclesiastici, nec omnino appostolici viri dignitate et religione, quorum meritis et doctrina sancta illustrattur

---

[65] *Act*. 4,32: «multitudinis autem credentium erat cor et anima una nec quisquam eorum quae possidebant aliquid suum esse dicebat sed erant illis omnia communia».

[66] *Io*. 4,22.

[67] *Lc*. 1,33: «et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis».

[68] *Corpus Antiphonalium Officii*, ed. René-Jean Hesbert (Roma: Herder, 1963-1979) núm. 6024: «Ad nutum domini nostrum ditantis honorem sicut spina rosam genuit Judaea Mariam».

Ecclesia. [§41] Et dato quod nostris demeritis exigentibus isto tempore defficerent, sufficiebat nobis ille summus et indefficiens pontiffex, qui non per sanguinem yrcorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, quem de clara stirpe David traxit, introivit semel in sancta eterna redemptione inventa[69].

[§42] Qui transiturus de hoc mundo ad Patrem duodecim appostolos quos sibi de mundo elegerat Ecclesie sue doctores et fundatores mundi lumina et seculi iudices dereliquit, quorum principem et capitaneum et clavigerum regni celestis Petrum, qui plus diligebat ceteris, ordinavit. Isti nempe fuerunt primi clerici, isti primi episcopi, isti fundamento Ecclesie prius Iudeorum, cuius nacionis erant, quorum patribus promissio facta fuerat, postea gentilium, qui super misericordia honoraverunt Deum,[70] primos lapides iniecerunt. [§43] [fol. 131rb] Ea propter Ecclesie Iudeorum per os propheticum dicit Spiritus Sanctus: «Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, quia loco patriarcharum in illo genere successerunt appostoli, constituentes eos principes super omnem terram»[71].

[§44] Non est pretereundus vas electionis Paulus, qui antea Saulus, qui de quibusdam ad Corintios loquens: «Hebrei –inquit– sunt? Et ego. Israelite sunt? Et ego. Semen Abrahe sunt? Et ego»; statim adiungit: «Et ministri Christi sunt? Et ego»[72]. Et ad Philipenses scribens, cum glorietur se circumcisum octava die ex genere Israel de tribu Beniamin originem traduxisse, magis tamen gloriatur, ut ibidem subdit, in lucrifaciendo Christum et in iusticia fidei Illius et ad cognoscendum Illum et virtutem resurrectionis eius et societatem passionis Illius[73]. [§45] Iste profecto appostolus per evangelium Christi in fide vos genuit, doctor gencium in

[69] *Hebr*. 9,12: «neque per sanguinem hircorum et vitulorum sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta aeterna redemptione inventa».

[70] *Rom.* 15,9: «gentes autem super misericordia honorare Deum».

[71] *Ps*. 44,17: «pro patribus tuis erunt filii tibi pones eos principes in universa terra».

[72] *2 Cor*. 11,21-22.

[73] *Philip*. 3,5: «circumcisus octava die ex genere Israhel de tribu Beniamin Hebraeus ex Hebraeis secundum legem Pharisaeus»; 3,9-10: «et arbitror ut stercora ut Christum lucri faciam et inveniar in illo non habens meam iustitiam quae ex lege est sed illam quae ex fide est Christi quae ex Deo est iustitia in fide ad agnoscendum illum et virtutem resurrectionis eius et societatem passionum illius».

fide et veritate[74]. Qui ad Romanos scribens se ipsum comendat de virtute Spiritus Sancti quam habuit in virtute signorum et prodigiorum in obedienciam gencium in verbo et factis, ita [ut] ab Iherusalen per circuitum usque ad Illiricum mare repleverit Evangelium Christi[75]. [§46] Ibi denique promisit se profecturus in Yspaniam, quod et fecit[76], [fol. 131va] ut multi sancti doctores et alii assertive tenent, et de laudibus Yspanie loquentes ystoriographi inter ceteras hanc specialiter ponunt quod Paulus appostolus in illam personaliter venerit; et sua sancta doctrina illustraverit sanctissimus Iacobus Zebedei, decus Yspanie, patronus noster, cuius reliquie apud nos divina dispensacione recondite in tanta veneracione tenentur et tanta devocione a nobis et ex ceteris nacionibus frequencius visitantur; qui in vita et in morte ibidem multos ad fidem Christi convertit. [§47] Cuius nacionis fuerit bene scitis, vel si nescitis interrogate maiores vestros et annunciabunt vobis. Cessat ergo insultacio de deffectu sacerdotum et doctorum generis nostri in statu legis gracie, cum illis celum plenum sit, terraque de illis novas plantulas cotidie germinet et fructum multiplicem Ecclesie Dei fideique catholice subministr[e]t [subministrat *ms*.].

[§48] Unum restat quod vobis, fratres mei, ab ignaris hominibus solet achileice [?] opponi, videlicet quod Christum regem vestrum crucifixistis, ea propter indignos omni bono, omni pena dignos vos perpetuo redidisti[s]. O cecum errorem! Credunt enim quod illa benedicta passio non fuerit tante efficacie quod crucifixoribus proficere potuerit vel quod peccatum crucifixionis fuerit ita grave quod sanguine Christi purgari [fol. 131vb] non potuit. [§49] Ista enim heretica sunt et contra fidem quam de virtute passionis Christi Ecclesia Catholica predicat, et contra latissimam caritatem eius qua iustus pro iniustis voluit mori, et pro crucifixoribus exoravit, qui secundum appostolum exauditus est in omnibus pro sua

[74] *1 Tim*. 2,7: «ego praedicator et apostolus veritatem dico non mentior doctor gentium in fide et veritate».

[75] *Rom*. 15,17-19: «habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum non enim audeo aliquid loqui eorum quae per me non effecit Christus in oboedientiam gentium verbo et factis in virtute signorum et prodigiorum in virtute Spiritus Sancti ita ut ab Hierusalem per circuitum usque in Illyricum repleverim evangelium Christi».

[76] *Rom*. 15,24: «cum in Hispaniam proficisci»; 15,28: «proficiscar per vos in Hispaniam».

reverencia[77]. Ista dico ad magis convincendum, dato quod manus in Christum dominum iniecissetis, ut vobis imponitur per fidem eam quam in baptismo recepisti[s], purifficata sunt corda vestra et loti ab omni peccato in sanguine suo; quanto magis quod propter infirmos! [§50] Mitius respondere potestis quod, licet aliqui pauci de natione vestra principes sacerdotum et pharisei illius temporis, qui ei invidebant et odio habebant quia eos plus ceteris arguebat, cum ministris suis Christum tradiderunt et accusaverunt et linguis suis crucifixerunt, non hoc fecerunt omnes Iudei illius temporis, quia aliarum terrarum indigene quorum erat quasi infinita multitudo per universum orbem ex precedentibus persecucionibus dispersa, pro tunc ibidem non interfuerunt nec ad diem festum omnes potuerunt convenire quamquam preceptum legale esset, quod captivitas et alie cause absencie [et] res legitime excusabant. [§51] [fol. 132ra] Nec obstat quod «de omni nacione» legatur venisse ad diem festum[78], quia li[ttera] 'omni' non distribuit ibi pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, ita quod 'de omni nacione' erant ibi 'aliqui', scilicet viri religiosi, non tamen omnes singulares illarum nacionum. [§52] In civitate enim nec per circuitum non poterat tanta multitudo recipi, nec principes terrarum apud quos tenebantur captivi eos sic permitterent adunatos exire; demum nec quotquot fuerunt civitates, incole et peregrini convenientes ad diem festum consilium, auxilium et consensum prestiterunt, cum maiores ad consilia presertim in arduis soli admitterentur, et ad istud sceleratum consilium, ut evangelica narrat ystoria, pontifices et pharisei scribe et seniores precise convenerunt[79]; nec de phariseis et senioribus omnes, quia non Ioseph ab Arimathia, qui discipulus erat Ihesu occultus, nec Nichodemus, qui venerat ad Ihesum nocte, isti enim non consilio mortis operam dederunt, sed sepulture eius pietate officium impleverunt. [§53] Multitudo vero plebis, que tamquam per prophetam enim habebat, vel multa turba populi, qui enim sequebatur cum mulieribus que plangebant [fol. 132rb] et lamentabantur eum, ab isto opprobrio crucifixionis exe[m]pta est, cum propter timorem eorum principes supradicti captaverunt tempus cum Iuda proditore quo modo sine

[77] *Hebr*. 5,7: «et exauditus pro sua reverentia».

[78] *Act*. 2,5: «erant autem in Hierusalem habitantes Iudaei viri religiosi ex omni natione quae sub caelo sunt».

[79] *Mt*. 27,1; *Mc*. 15,1; *Lc*. 22,66.

eis illum conprehenderent. [§54] Et si propter illos paucos totum genus Iudeorum reum illius mortis volunt constituere, dampnent totum gentilium genus quia Pilatus gentilis eum sentensiavit, gentiles milites eius illum crucifixerunt, ei illuserunt offerentes acetum et dicentes: «Si tu es rex Iudeorum salvum te fac»[80]. Unus illorum lancea latus eius apperuit. [§55] Ceterum post Salvatoris nostri resurrectionem et in celos assensionem, Iudeis per universum orbem fidem Christi predicantibus, quis Christum per tercentos annos et amplius in suis menbris crucifixit, appostolos et alios martires, quorum millenaria homo numerare non potest, diversis tormentorum generibus afficiendo, finaliterque morti tradendo, nisi gentiles imperatores et iudices eorum, quorum crudelem feritatem et inmanem seviciam hodie Ecclesia christianorum admiratur et reprobat? Nunquit propter istos et propter Mahumet, qui gentilis nacionis fuit, Ecclesiam gentilium, in qua nunc Deus vere colitur, dampnabimus vel reprobabimus? Absit. Quin pocius illis inmensas [fol. 132va] gracias agamus, quoniam ab Oriente in Occidentem magnum fecit nomen suum in gentibus. [§56] Essetne recta argumentacio, quia unus appostolorum proditor fuit prodicionis crimen, in totum appostolorum colegium retorquere? Vel quia unus latronum Christum bla[s]phemavit, alter qui conversus ad Ihesum dixit: «Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum», indignus fuerit audire: «Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso»?[81] [§57] Concludamus ergo cum appostolo quod omnes peccaverunt, scilicet, gentiles et Iudei, et omnes egent gloria Dei, et quod iam non est distincio Iudei et Greci, nec est Deus acceptor personarum, sed quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit.

[§58] Replicabitur forte: Verum est quod illum peccatum non descendit in posteros nec transit ad congeneritos qua[ntu]m ad culpam nec quantum ad reatum pene eterne, quia 'anima que peccaverit', ut ait propheta, 'ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris'[82], etc.; sed quantum ad reatum pene temporalis aliquando Dominus punit filium pro patre, alias patrem in filio, quod ipse dixit in Exodo: 'Ego sum Dominus

[80] *Lc*. 23,36-37: «inludebant autem ei et milites accedentes et acetum offerentes illi dicentes si tu es rex Iudaeorum salvum te fac».

[81] *Lc.* 23,42-43.

[82] *Ez.* 18,20.

Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios'[83], etc.; [§59] et non solum filios, nepotes vel pronepotes pro peccatis parentum, sed aliquando concives et conregnicolas [fol. 132vb] pro peccatis aliorum civium vel conregnicolarum, congeneritos vel contribules pro peccatis aliorum eiusdem generis vel eiusdem tribus, nisi Dominus velit aliquos de gracia speciali liberare, ut liberavit Loth ab incendio Sodomorum et Noe ab inundacione diluvii. [§60] Quam penam illi crucifixores visi sunt contra se et filios suos postulasse, dicentes: 'Sanguis eius super nos et super filios nostros'[84], quod impletum est in strage, captivitate, dispersione eorum facta per Romanos †miro† ocisionis Christi»[85].

[§61] Ex predictis clare posset elici responcio nichilominus ad auferendam contendendi occasionem. Respondeatis aliter cum sanctis doctoribus, quod peccata parentum puniuntur in filiis temporaliter si filii sunt paternorum criminum ymitatores, quod Dominus voluit in suprema auctoritate Exodi declarare dicens: «Ego sum Dominus», etc. «visitans iniquitatem» etc., «eorum», scilicet «qui oderunt me». [§62] Et quia Iudei hodie in sua cecitate detenti, licet non omnes sunt per carnem filii eorum qui Christum crucifixerunt, omnes sunt filii ymitacione criminis, non credentes Ihesum esse Christum verum Deum, sed purum hominem deceptorem et blasphemum; quantum in se est, cotidie ipsum crucifigentes. Dignum et iustum est ut durante culpa infidelitatis durare debeat pena miserie et captivitatis. [fol. 133ra] [§63] Set vobis, fratres mei, qui, licet essetis filii eorum secundum carnem, non estis paternorum scelerum ymitatores. Quin ymo, relicta infidelitatis tenebra, veram lucem que illuminat [omnem][86] hominem venientem in hunc mundum, scilicet Ihesum Christum dominum nostrum, Deum verum et hominem mortuum propter delicta nostra resurrexisse, propter iustifficacionem nostram,

[83] *Ex.* 20,5: «ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes visitans iniquitatem patrum in filiis in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me».

[84] *Mt.* 27,25.

[85] La lectura *miro* es clara en el manuscrito, pero el copista seguramente transcribió el original defectuosamente (tal vez haya que suponer una mala interpretación de *in rō* > *in ratione*).

[86] El manuscrito grafía *oppʒ* > *opportet*, pero es claro que debe tratarse de una mala lectura de *omnem*, seguramente abreviado *oʒ* en el original. *Cf.* la fuente: «erat lux vera quae inluminat omnem hominem venientem in mundum» (*Io*. 1,9).

cum aliis credibilibus ad salutem neccesariis, corde creditis ad iusticiam et ore confitemini ad salutem. «Que pars est [fideli] cum infidelibus, que enim participacio –inquit appostolus– iusticie cum iniquitate, aut que societas lucis ad tenebras, que autem convencio Christi ad Belial?»[87] Peccant ergo qui vos eisdem criminibus cum infidelibus involvunt, eiusdem pene participes faciunt.

[§64] Illud de neophitis non ordinandis puerile est. Hoc vobis per convicio opponunt qui nesciunt interpretacionem vel significacionem vocabuli vel nolunt diligenter attendere iura que de hac materia locuntur. Neophitus enim interpretatur 'novus' vel 'rudis in fide' vel 'nuper ad fidem conversus' et talis prohibetur ab appostolo ordinari, quia nondum instructus in hiis que fidei sunt nec probatus circa ea que religioni [fol. 133rb] christiane conveniunt, [ne] elatus forte in superbiam in iudicium incideret et in laqueum diaboli[88]. [§65] «Momentaneus namque sacerdos –dicit canon– nescit humilitatem, modos personarum vel sesse contempnere. Non ieiunavit, non flevit, non se correxit, non pauperibus sua errogavit. In arroganciam, que est ruina diaboli, incidunt, qui puncto hore necdum discipuli fiunt magistri. Miserum est enim fieri magistrum qui necdum didicit esse discipulus». [§66] Et ista prohibicio comprehendit et neophitos conversos de iudaismo et conversos de gentilitate vel paganismo; ymo expressius iura in ista prohibitione loquuntur de gentilibus quam de Iudeis, ut illud: «Qui heri erat in theatro, hodie non sedeat in ecclesia; qui vespere erat in circo, hodie non ministret altario; qui dudum fuerat fautor ystrionum, hodie non sit consecrator virginum»[89].

---

[87] *2 Cor*. 6,14-15.

[88] *1 Tim*. 3,6: «non neophytum ne in superbia [*var*. superbiam] elatus in iudicium incidat diaboli».

[89] Las dos citas anteriores quedan recogidas en *Decretum*, dist. 48, pars 1: «Prohibentur etiam neophiti in episcopos ordinari, ut qui heri erat catecuminus, hodie non fiat episcopus, qui heri erat in teatro, hodie non sedeat in ecclesia, qui uespere erat in circo, hodie non ministret altario, qui dudum fuerat fautor istrionum, hodie non sit consecrator virginum. Causa autem huius prohibitionis est secundum Apostolum, ne elatus in superbiam tamquam religio Christiana plurimum eo egeret, incidat in ruinam diaboli. Momentaneus namque sacerdos nescit humilitatem, modos personarum, uel se contempnere; non ieiunauit, non fleuit, non se correxit, non pauperibus erogavit. In arrogantiam (quae est ruina diaboli) incidunt, qui puncto horae necdum discipuli fiunt magistri, et sicut Innocentius ait, miserum est, eum fieri magistrum, qui necdum didicit esse discipulus».

Ista omnia, videlicet esse in teatro vel in circo vel favere ystrionibus, ludi vel supersticiones, fuerunt gentilium, non Iudeorum.

[§67] Clare hoc dicit canon Niceni Consilii: «Quoniam multa sive per neccesitatem sive ex quacumque causa contra regulam gesta sunt, ita ut homines ex vita gentili nuper adhuc cathecumini vel instructi statim ad spirituale baptisma venissent et continuo, cum baptizati sunt, [fol. 133va] etiam [et *ms*.] ad episcopatum vel presbiteratum transacti sunt, recte e[r]go visum nichil de cetero tale fieri. Nam et tempore opus est ut sit cathecuminus, et post baptismum multa probacione indiget»[90].

[§68] Et de talibus neophitis Iudeorum posset intelligi illud decretum Toletani Consilii: «Qui Iudei aut hii qui ex Iudeis sunt officia publica nullathenus habeant»[91], licet secundum alios posset intelligi et bene de Iudeis et famulis eorum, vel secundum alios de Iudeis et de christianis qui condam fuerunt Iudei; [§69] de quibus instatuit aliud Consilium Toletanum quintum: «Plurimique ex Iudeis, qui dudum ad Christianam fidem promoti sunt, nunc blasphemantes Christum non solum Iudaicos ritus perpetrasse noscuntur, sed eciam abhominandas circumsisiones exercere»; de quibus decretum est ibidem quod: «Huiuscemodi transgressores pontifficali auctoritate correcti ad cultum Christiane religionis revocentur»[92].

[§70] Dicere quod de omnibus conversis ex Iudaismo illa prohibicio appostoli et canonice sanciones de hac materia loquentes debent intelligi est expositio scandalosa, themeraria, heresim sapiens, [fol. 133vb] sisma inducens, sicut ex supradicte evidenter colligi potest. [§71] Cuius oppositum voluit beatus Ambrosius, tractans illud verbum appostoli ad Romanos *Iudeo primum et Greco*[93]: «Iudeum –inquit– primum nomina

[90] *Can. Nicaen*. 2, recogido en *Decretum* dist. 48, c. 1 (con *prouecti sunt* en lugar de *transacti sunt*). Otras versiones en *Ecclesiae Occidentalis Monumenta Iuris Antiquissima I*, ed. Cuthbert Hamilton Turner (Oxford: Clarendon, 1899-1939) págs. 183-185, y *La colección canónica hispana. vol. III: Concilios griegos y africanos*, eds. Gonzalo Martínez Díez y Félix Rodríguez Barbero (Madrid: CSIC, 1982) págs. 67-68.

[91] *Decretum*, II, C. 17, q. 4, c. 31 *Constituit*.

[92] *Decretum*, *De cons*., dist. 4, c. 94 *Plerique*.

[93] *Rom*. 1,16: «non enim erubesco evangelium virtus enim Dei est in salutem omni credenti Iudaeo primum et Graeco»; y *Rom*. 2,9-10: «tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum Iudaei primum et Graeci gloria autem et honor et pax omni operanti bonum Iudaeo primum et Graeco».

prerrogativa Patrum, ut vel coronetur prius, vel dampnetur gravius»[94], quod clare ante beatum Ambrosium sanciebat beatus Clemens, qui predicans Iudeis fidem Christi eorum gracia, ut ecclesiastica narrat ystoria, hoc ordine utebatur, quod patres eorum amicos Dei assereret et legem eorum sanctam et sacratissimam memor[aret] [memoriam *ms*.]. [§72] Primum quidem locum istos habituros astrueret, si legis sue sacramenta servarent, in hoc quod promissum Abrahe non negarent in Christo fuisse conpletum, idest, quod in semine Abrahe Deus hereditandas gentes promiserit omnes: «De fructu ventris tui ponam super sedem tuam», et quod per Ysayam confirmavit dicens quod virgo in utero conciperet et pareret filium cui nomen vocaretur Hemanuel[95]. [§73] Hoc vos sinpliciter asseritis, hoc cum aliis fidei catholice articulis, non nunc noviter, sed a magnis temporibus, et plures vestrum a nativitate alicuius alterius legis vel secte penitus [fol. 134ra] ignari cum Ecclesia Sancta Catholica et Appostolica firmiter profitemini. Que ergo sufficiencia est pos[t]quam ieiunastis, postquam flevistis, postquam instructi estis, postquam probati estis ac si heri vel nudius tercius fuissetis conversi vos neophitos nominare et sub eorum regula, iure vel ordinacione vos conprehensos credere vel extimare.

[§74] Consolamini ergo, consolamini, popule Dei[96], quia non, ut vani et ignari homines dicunt, sic Sacra Scriptura, fides catholica, Ecclesia Sancta Dei abiectos et humiliatos vos reputat, sed magnos et gloriosos vos credit et predicat: «Non enim estis hospites [et] advene, sed cives

---

[94] Ambrosiast. *in Rom*. 2,9 (*PL* 17, col. 66): «Semper Iudaeum anteponit praerogativa Patrum, ut aut coronetur primus, aut damnetur».

[95] *Passio sancti Clementis* II.1-2 (*Patres apostolici. vol. II: Clementis Romani epistulae de virginitate eiusdemque martyrium, epistulae Pseudoignatii, Ignatii martyria, fragmenta Polycarpiana, Polycarpi vita*, eds. Franz Xaver von Funk y Frank Diekamp [Tübingen: Henrik Laupp, 1913] pág. 53): «Iudaeorum vero hoc ordine gratia utebatur, quod patres eorum amicos Dei adsereret et legem eorum sanctam et sacratissimam memoraret primumque locum istos apud Deum habituros adstrueret, si legis suae sacramenta servarent in eo, quod promissum Abrahae non negarent in Christo fuisse completum. quod semine Abrahae Deus haereditandas promiserit omnes gentes; et quod dixerit ad David: 'De fructu ventris tui ponem super sedem tuam [*Ps*. 131,11]'; et quod per Esaiam confirmaverit, quod 'virgo in utero conciperet et pareret filium, et vocaretur nomen eius Emmanuel' [*Is*. 7,14: «ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitis nomen eius Emmanuhel»].

[96] *Is*. 40,1: «consolamini consolamini populus meus dicit Deus vester».

sanctorum et domestici Dei, superhedifficati super fundamentum appostolorum et prophetarum, ipso sumo angulari lapide Christo Ihesu, in quo omnis hedifficatio constructa crescit in templum sanctum in Domino»[97]. [§75] Cotidie nempe cantat Ecclesia quod Simeon iustus de Christo domino nostro, dum illum in templo in ulnas suas reciperet, spiritu prophetico decretavit Christum lumen ad revelacionem gencium et gloriam plebis sue Israel[98]. [§76] Rursum vestrum eundem Paulum [fol. 134rb] pusillanimitatem vestram consolantem audite: «Nunquit repulit Dominus populum suum? Absit. Nam et ego –inquit– israelita sum, ex semine Abrahe de tribu Beniamini. Non repulit Deus plebem suam quam prescivit»[99]; et infra de eodem populo Iudeorum loquens: «Nunquid sic offenderunt ut caderent? Absit; sed illorum delicto salus est gentibus, ut illos emulentur, quod si delictum eorum divicie sunt mundi et diminucio eorum divicie gencium, quanto magis plenitudo eorum!»[100], et subdit: «Si enim amissio eorum reconciliacio est mundi, que assumpcio nisi vita ex mortuis? Quod si delibacio est sancta, et massa; et si radix sancta, et rami. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis olive factus es. Noli gloriari adversum ramos, quod si gloriaris non tu radicem portas sed radix te. Dicis: fracti sunt rami ut ego inserar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt rami, tu autem fide stas. Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepersit, forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, [fol. 134va] severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris. Sed et illi, si non permanserint in [in]credulitate inserentur; potens est enim Deus inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro et contra naturam insertus et in bonam olivam, quanto magis hii qui secundum naturam inserentur sue olive»[101]. [§77] Ecce quam magniffice vos comendat et blande consolatur appostolus: magnifice comendat in eo quod patres vestros dicit delibationem sanctam et radicem sanctam et vos massam sanctam et ramos sanctos; blande conso-

[97] *Eph*. 2,19-21.

[98] *Lc*. 2,25-32.

[99] *Rom*. 11,1-2.

[100] *Rom*. 11,11-12.

[101] *Rom*. 11,15-24.

latur in eo quod ruina[m] generis vestri non dicit universalem esse, ita quod sit omnium de illo genere et illorum quorum fuit, quod non fuit irreparabilis nec inutilis, sed reparabilis in se et toti mundo utilis. Que appostolus scripsit, ego vobis transcribo ut calumniantibus habeatis quid respondere possitis. [§78] Non in carne vel in nobilitate carnalis generis gloriam queratis, quia idem appostolus sepe dicit: «Qui gloriatur in Domino glorietur»[102], et: «Absit michi gloriari nisi in cruce Domini nostri Ihesu Christi»[103]; et alibi: «Libenter gloriabor in infirmitatibus [fol. 134vb] meis ut inhabitet in me virtus Christi, propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neccesitatibus, in persecucionibus, in angustiis pro Christo»[104].

[§79] Videtis ergo, dilectissimi, quomodo tota Sancta Scriptura exemplo Christi et sanctorum ad pacienciam vos tam efficaciter invitat et tam dulciter in tribulacionibus consolatur. Ad huc vester episcopus Iacobus illud sumatim prestingit si quasi vos aloquens in canonica sua ait: «Exemplum accipite, fratres, exitus mali et longanimitatis et laboris et pacienciae prophetas qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt sufferenciam. Iob audistis et finem Domini vidisti[s] quoniam misericors est Dominus et miserator»[105].

[§80] Convertimini ergo ad Illum in toto corde vestro et in tota anima vestra et invocate nomen eius in Ihesu Christo Filio suo unico, Domino nostro, in quo nec circumsisio aliquid valet nec prepucium, sed nova creatura[106]. Reformamini spiritu mentis vestre[107], exuent[e]s [exuentis *ms*.] veterem hominem cum actibus suis et induentes [fol. 135ra] novum hominem[108], qui secundum Deum creatus est in iusticia et sanctitate veritatis, dicent[e]s [dicentis *ms*.] cum vestro Ysaya: «Vetus error abiit;

---

[102] *1 Cor*. 1,31; *2 Cor*. 10,17.

[103] *Gal*. 6,14.

[104] *2 Cor*. 12,9-10.

[105] *Iac*. 5,10-11.

[106] *Gal*. 6,15: «neque circumcisio aliquid valet neque praeputium sed nova creatura».

[107] *Eph*. 4,23: «renovamini autem spiritu mentis vestrae».

[108] *Colos*. 3,9-10: «nolite mentiri invicem expoliantes vos veterem hominem cum actibus eius et induentes novum eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creavit eum».

servabis pacem; pacem quia in te, Domine, speravimus»[109]. Quod si feceritis, audiet Dominus et miserebitur vestri. Dominus erit adiutor vester, convertet planctum vestrum in gaudium, concidet sacum vestrum et circumdabit vos leticia[110].

[§81] Hec vobis scribo, fratres, non in sublimitate sermonis nec in perssuasilibus humane sapiencie verbis, sed in conpassione animi, utens simplici Sacre Scripture eloquio, ut per pacienciam et consolacionem Scripturarum spem habeatis. Deus autem paciencie et solacii det vobis id ipsum sapere[111], conteratque Sathanam [sub pedibus] vestris velociter. Gracia Domini nostri Ihesu Christi vobiscum[112]. Amen.

[§82] *Conclusiones vel sentencie que ad laudem et gloriam Domini nostri Ihesu Christi eiusque beatissime matris Virginis Marie consolacionemque vestram et adversariorum confutacionem ex predictis possunt elici correlarie*[113] *vel incidenter. Sunt que secuntur.*

[fol. 135rb] Prima conclusio. Dicere quod Christus dominus noster et beatissima eius mater Virgo Maria non fuerunt de genere Iudeorum est hereticum et qui hoc pertinaciter asserit est hereticus.

Secunda conclusio. Dicere quod omnes descendentes de genere Iudeorum sunt innobiles vel non generosi est hereticum; qui hoc pertinaciter asserit est hereticus.

Tercia conclusio. Dicere quod omnes conversi ex circumcisione sunt in statu dampnacionis vel quod sunt inhabiles ad graciam et gloriam est hereticum, et qui hoc pertinaciter asserit est hereticus.

---

109 *Is*. 26,3.

110 *Ps*. 29,12: «convertisti planctum meum in gaudium mihi concidisti saccum meum et ciucumdedisti me laetitia».

111 *Rom*. 15,5: «Deus autem patientiae et solacii det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum».

112 *Rom*. 16,20: «Deus autem pacis conteret Satanan sub pedibus vestris velociter gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum».

113 El adverbio *correlarie*, no muy utilizado, aparece también en la *Responsio apologitica* (véase el ítem [9] del manuscrito, fol. 169vb). Se documenta desde Buridán a Pico della Mirandola, con el sentido de 'como corolario'; *cf.* René Hoven, *Lexique de la prose latine de la renaissance* (Leiden: Brill, 1994) *s.v.*

Quarta conclusio. Dicere quod omnes tales sunt indigni dignitatibus ecclesiasticis et temporalibus, vel inhabiles ad eas, est scandalosum, temerarium, et si ex premissis illis hereticis hoc concludatur eciam erit hereticum; qui hoc pertinaciter asserit est hereticus.

Quinta conclusio. Dicere quod per conversionem ad fidem Christi sit distinctio Iudei et gentili est hereticum, et qui hoc pertinaciter asserit est hereticus, et qui illam distincionem electione desiderat vel de facto studios[e] [studioso *ms*.] procurat est cismaticus.

Sexta conclusio. Quicumque conversos ad Christum habet exosos quia de genere Iudeorum sunt extra caritatem est et in statu dampnationis.

Septima conclusio. Quicum[que] illos spernit quia de illo genere sunt Christum spernit et quantum in se est inimicum eius se constituit.

Incitativus [?] [114]. Principes ecclesiastici et temporales tenentur secundum utriusque iuris et regulas contra predictos hereticos, iniquos homines et blasphemos procedere et illos condigna animadversione punire, quod si non faciant mortaliter peccant.

Traducción

[§1] Queréis saber, carísimos hermanos en Cristo, qué me parece esta nueva clase de conflicto. Y yo digo que no es nuevo, sino antiguo; porque vienen a renovarse las antiguas persecuciones. Pues en virtud del juicio de Dios, oculto aunque no injusto, el viejo enemigo trata de derribar aquellos dos muros que la piedra angular de Cristo Nuestro Señor había unido en sí mismo [115]; [§2] intenta aquel, por su parte, separarlos

[114] En el manuscrito se lee la abreviatura *Inci.*^{us} o *Inci.*^{ns}, que muy dubitativamente hemos interpretado como *Incitativus* (o tal vez *Incitans*).

[115] Sobre la base de *Eph*. 2,19-21 y *Ps*. 117,2, la exégesis patrística y medieval estableció que Cristo era la piedra angular que procuró la unión, en una sola Iglesia, de los dos muros, el de los judíos y el de la gentilidad. *Cf.* San Jerónimo: «In caput connenctens duos parietes: unum de circumcisione, alium de praeputio, in uno novo homine, hoc est in semetipso» (*in psalm. 117*, *PL* 26, col. 1257); véase Gerhart B. Ladner, «The Symbolism of the Biblical Corner Stone in the Medieval West», *Images and Ideas in the Middle Ages. Selected Studies in History and Art* (Roma: Edizioni di Storia e Letteratura, 1983) vol. I, págs. 171-196 para muchos más ejemplos. La imagen aparece en

y rechazarlos de sí, y viendo cómo nosotros, a quienes considerasteis como circuncisos[116], quedábamos libres del yugo de su servidumbre, siendo así que antes nos poseía como esclavos, no puede tolerar que nosotros y nuestros hijos propaguemos insistentemente la fe de Cristo, por medio de la cual se accede al cielo, de donde él mismo fue arrojado; y, tocado por el dolor, trata de destruir en nosotros, mediante la crueldad de las persecuciones, los cimientos de la fe que aquel nuestro arquitecto hizo sólidos con su purísima sangre.

[§3] Os ruego, por tanto, hermanos, que no desfallezcáis en la tribulación, sino que vistáis la armadura de la fe y resistáis a tan grande adversario, fuertes en la fe. El enemigo es débil, no puede vencer más que a quien así lo desea; es muy astuto, pero solo en tanto que así lo tornáis [?]. Pero, sostenidos por el favor divino, convertid esta persecución, que prepara una ocasión de ruina o escándalo, en materia de virtud o mérito. [§4] A menudo le sucede a este tirano, a quien nuestro Salvador llama príncipe de este mundo[117], que, si llega a luchar contra un cristiano humilde, aunque fuerte, cree decir [¿vencer?] y avanza, y así, engañado por su propio deseo, retrocede confuso, huye del vencedor, vencido [?], y cesa en la persecución.

[§5] Lo único que temo es que, acostumbrados a la prosperidad mundana, y no habituados a las adversidades, os veáis doblegados ante los males presentes. Lejos esté de sucederos esto a vosotros, amadísimos, que habéis leído en la sagrada historia del Antiguo Testamento cuántos males sufrieron vuestros padres en Egipto, de manos del Faraón, y cuántos en el desierto cuando los conducía Moisés. [§6] De ellos, hubo quienes irritaron al Señor con su impaciencia y, cayendo allí mismo, no alcanzaron la tierra deseada; los constantes y aquellos que ignoraron con confianza el flagelo del Señor se hicieron dignos del sublime fruto de la tierra e ingresaron en el descanso del Señor. Después de todo esto, co-

---

Oropesa, *Luz para el conocimiento* §32; o en Torquemada, *Tratado contra los madianitas* §15.4.

[116] *Cf.* Oropesa, *Luz para el conocimiento* §28, pág. 357: «Pues la Iglesia tiene dos senos apreciables que son las dos clases de predicadores que subliman y exaltan su santísima fe: uno de la incircuncisión de los gentiles y otro de la circuncisión de los judíos».

[117] *Cf.* Torquemada, *Tratado contra los madianitas* §6.7, pág. 278: «apenas entrado en el campo de batalla de este mundo para pelear contra el príncipe de este mundo».

nocéis mejor que yo cuántos ataques hostiles recibieron estos mismos padres vuestros de los filisteos y otras naciones bárbaras en tiempos de los Jueces y los Reyes, casi sin interrupción hasta el cautiverio de Babilonia, exceptuando solo aquella pacífica época de Salomón. [§7] Resultaría muy tedioso escribir todas las ofensas que les infligieron las naciones vecinas cuando, reinando los persas, regresaron de la cautividad y reedificaron el Templo; o todo lo que los griegos hicieron después, bajo Antíoco; o finalmente los romanos, cuando ya la verdad había sido revelada. [§8] Las persecuciones, por tanto, no son ajenas a nuestra nación, sino más bien características de nuestra estirpe. Y si sobrevienen no han de asombrar como si sucediese algo nuevo, sino que más bien Dios quiere que, para que el daño sea menor, nos encuentren habituados, prevenidos y preparados. [§9] Tal y como dice el dicho del Sabio: «Él ofende a quien ama, y se complace en él como un padre en su hijo»; en su Hijo unigénito, digo yo, igual a Él, eterno como Él y consustancial con Él, quien, enviado desde el trono real para que reuniera a los hijos dispersos de Abraham, unió en sí la carne emanada de aquella semilla. [§10] Así pues, y al igual que el Verbo se hizo carne y habitó entre nosotros, no quiso Él que se viese envuelto en las riquezas, placeres u honores de nuestro siglo, sino que fuese para nosotros ejemplo de humildad, pobreza y paciencia en tanto que tuvo trato con los hombres en la tierra, y finalmente lo entregó a un acerbo padecimiento y una ignominiosa muerte por todos nosotros.

[§11] De manera que, hermanos míos carísimos, si sufrís la rapiña de vuestros bienes, ¿qué otra cosa significa esto sino que vuestro Padre celestial quiere apartaros de los fuegos de la avaricia y la inútil ansia de riquezas, y situaros junto al Hijo en su serena pobreza? Si, por lo demás, por respetar la justicia de nuestro rey, sufrís de parte de quienes desobedecen y se rebelan contra él hambre, sed, desnudez, muertes y torturas (creo que es así, según oigo), bienaventurados sois. [§12] «Bienaventurados –dice el Salvador– los que padecen persecución por justicia», y en esto os igualáis más verdaderamente al propio Salvador Cristo nuestro Señor, guardando aquello que vuestro apóstol Pedro exhorta en su cánonica: «Y pues Cristo padeció en la carne –dice–, armaos también del mismo pensamiento»; seguros de que, si sufrís con Él, también reinaréis con Él y, si lo acompañáis en sus pasiones, tendréis parte también

de sus consolaciones. Dios quiere, en consecuencia, que vosotros, bajo su mano omnipotente, seáis humillados junto con su Hijo en este mundo transitorio, para que eternamente seáis enaltecidos junto a Él en la tierra de los vivos. [§13] Mucho os ama, pues, cuando os hace semejantes a su único Hijo en la vida, semejantes en su medida en el conocimiento, del todo iguales en la recompensa. Considerad, amados, dónde están ahora los apóstoles, vuestros hermanos, para quienes el propio Hijo de Dios dispuso el reino de su Padre por haberse conducido como sus émulos perfectos tanto en la vida como en el padecimiento, para que en su reino coman y beban sobre su mesa, destinados a sentarse en el juicio final y temible sobre doce sitiales, para juzgar a las doce tribus de Israel. [§14] Todo el mundo alaba tanto a los mártires como a los demás santos, quienes, aunque sufrieron tormentos entre los hombres, gozan por siempre de una esperanza inmortal. Por tanto, no tenéis una causa justa para quejaros porque Dios os flagela, sino más bien para darle las gracias porque os enmienda como a hijos y, como el oro en la hornaza, prueba que sois sus elegidos.

[§15] Algunos de los vuestros responden con suma aspereza: «Es grato soportar esta repentina persecución que nuestro adversario ha promovido en esta época, pues creemos que, gracias a la misericordia de Dios, y con ayuda de los servidores de rey, no habrá de durar mucho, sino que habrá de terminar en breve. Pero ¿quién podría tolerar con paciencia los continuos ultrajes de los que nos vituperan? [§16] De una parte, nos insultan los judíos, diciendo que nos hemos desviado del camino recto y hemos apostatado de la religión verdadera, y nos reputan por descarriados, apóstatas, no conversos sino adversos y perversos, y, como pueden hacerlo de forma impune, así nos llaman públicamente. [§17] Los cristianos, por otro lado, que deberían confortarnos y consolarnos, por cuyas prédicas aceptamos la fe ortodoxa, mediante la que nos unimos a ellos y espiritualmente nos convertimos en un solo cuerpo, creyendo firmemente junto a ellos y teniendo una fe sincera en un Dios uno y trino, y guardando y observando cotidianamente las mismas creencias, los mismos sacramentos, y unos ritos que no son otros que los que de ellos aprendimos y los que la Santa Iglesia Romana, Católica y Apostólica observa y aprueba, murmuran contra nosotros, nos denigran cantando y diciendo palabras y maldiciones injuriosas, burlándose y rién-

dose de nosotros, por separado y conjuntamente, lo cual hacen por divertirse y sin otro motivo [118]. Todo y por todas partes son zozobras para nosotros. Que Dios lo vea y juzgue, y que su piedad no nos abandone».

